

Varro, De lingua Latina V 49:
iam diu enim late avaritia unae est^a

I. Capitula 41-56 libri V operis Varronis, quod inscribitur *De lingua Latina*, historicos ad se trahunt hanc ob rem, quia Varro, nomina locorum etymologice expediturus, multa obiter inibi tradit, quae possunt usui esse ad Romae antiquae locorum singulorum notitiam acuendam. Qua de causa hae operis eius partes vulgo appellantur „capitula topographica” (quod ipsi rei vix respondet, nam Varro hoc etiam in loco – ut in ceteris – praesertim etymologiae studet). Accedit, quod textus in multis locis ita est depravatus, ut philologorum quoque occupet animos.

Capitulum 49 pertinet ad etymologiam Esquiliarum:

*Secundae regionis Esquiliae. Alii has scripserunt ab excubiis regis dictas, alii ab eo, quod excultae a rege Tullio essent. Huic origini magis concinunt loca vicina, quod ibi lacus, qui dicitur Fagutalis, et Larum Querquetulanum sacellum et lucus Mefitis et Iunonis Lucinae, quorum angusti fines. Non mirum: iam diu enim late avaritia † unae est.*¹

^a Haec est versio commentationis Polonice scriptae, quam anno 2012 paravi ut publici iuris eam facerem in hoc volumine: *Glosy filologiczno-filozoficzne na marginesie prac Profesora Juliusza Domańskiego w 85 rocznicę Jego urodzin*, Warszawa 2012, pp. 45-54. Opusculum illud meum in Latinum verti, ut ii etiam legere possent, qui Polonice nescirent. Versio Latina, quoniam est posterior, est etiam in minutis quibusdam rebus aliquantulum correctior.

¹ Excerptum secundum *Siedem wzgórz Rzymu. M. Terentius Varro, „De lingua Latina 5.41-56”*. *Tekst, przekład, komentarze*, Warszawa 2013 (ISBN 978-83-

Difficultas profecto inhaeret parti extremae. Videtur quidem posse horum verborum sententia plus minusve intellegi, scilicet lucos Mefitis et Iunonis Lucinae esse parvos, causam autem esse magnam avaritiam (quam procul dubio arguit crebra eorum immunitio). Sed item luce clarius videtur contextum esse corruptum. Prodit hoc illud *unae* sensu cassum atque etiam peculiaris quaedam ceterorum verborum constructio, praesertim autem *est* copula praedicati loco posita, quamquam post adverbium illud, quod est *late*, verbi nescio quid expectaveris ad magis definitam actionem pertinentis. Nec non in ipsum verborum ordinem animum intendes: *enim* loco tertio est positum,² adverbium vero *late* – ante subiectum.

II. Textus traditur libro Florentino (quem porro appellabimus *F*), qui etiam Laurentianus nominatur, saeculi XI, asservato in Bibliotheca Medicea Laurentiana Florentiae (sub numero 51 10). Liber ille littera perscriptus est minuscula, quae dicitur Beneventana. Alterum eiusdem textus exemplar vetustissimum est excerptum (seu *Epitome*), quod in Casinensi libro continetur, saeculi XII, ex bibliotheca coenobii Casinensis (numero 361). Excerptum illud factum videtur ex libro *F*, in hoc autem nostro loco exhibet correctionem: delevit nempe epitomator id quod oculos offendit maxime, hoc est illud *unae*.

Et violenter hoc iste: quod saeculo XII fortasse omnino non videretur necessarium, hodie tamen antequam deleveris, scire, puto, malueris, quae fuisset illius impedimenti origo. Sed ex libri manuscripti loco illo nequit coniectari, unde librarii illud sint nacti et

933962-9-0).

² Hoc raro quidem Varroni accidit, verum accidit, cf. Var. *L.* VI 13 *eo die enim ludis currunt in Martio campo* et IX 67 *alii generis enim vinum, quod Chio*. In loco utroque, quod manifestum est, verba duo illud *enim* antedecentia artissime per syntaxin sunt unita. Omisi autem hic talia, in quibus verbo illi, quod stat ante *enim*, aliud est quiddam appositum, quod pro proclitica vel enclitica accipi potest, ut *non, nisi, et, ut, est*, praepositio ceteraque similia.

cur illic, ubi legatur, posuerint. Praeterea correctio illa epitomatoris locum utique non multum sanat, neque hunc sanant librorum aetatis humanisticae conamina verbum aliud pro *unae* supponendi, scilicet *nunc, uvae, unde* (hoc est *undae*; quod fieri potuit, cum antecedens illud *lucus* in *lacus* esset correctum), neque item consilium amplecti possumus Henrici Jordan, ut pro his: *avaritia unae est* legatur hoc: *Avaritiae numen est*.³

Simili ratione abicere oportet coniecturam Adriani Turnebi, praebeat licet illa speciem salutis: *iam diu enim latae avaritia viae est*. Horum verborum sententia cum facile intellegatur, insolita tamen nititur significatione verbi *avaritia*, quod licet proprie significet cupiditatem pecuniae, hic tamen quasi pro cupiditate ipsa ponatur cum genetivo, quid cupiatur, indicante. Quoniam talem usum, qui est alioquin rarissimus ipse, nemo testatur scriptorum aetatis liberae Rei Publicae,⁴ vere extraordinarium hoc esset eum tribuere Varroni. Praeterea quomodo illud *viae* per hercle vulgatissimum in tantam raritatem, ut est *unae*, abierit, nulla valebit palaeographia enarrare. Eadem res (ut suspicionem iam reticeam, quam oratio tam florida non movere non possit) coniecturam Leonardi Spengel in dubium vocat: *iam diu enim lata avaritiae via est*.⁵

III. Qua de re serius considerari nescio an possit, lacuna est: *iam diu enim late avaritia *** unae est*. Si, exempli gratia, unus interciderit in pagina versus eoque casu sententiae alterius initium cum fine alterius sit coniunctum, id ipsum effici possit, quod in libro *F* est inibi obvium. Verum lacuna sic indicata signum erit de-

³ H. Jordan, *Topographie der Stadt Rom im Alterthum*, t. II, Weidmannsche Buchhandlung, Berlin 1871, p. 601.

⁴ *ThLL* duo tantum exempla producit ex litteris antiquis, Augustorum aetatis utrumque: Sen. *Dial.* II 12.2 et Curt. Ruf. IX 2.9. Haec significatio apud Christianos demum scriptores in crebriorem usum veniet.

⁵ *M. Terenti Varronis de lingua Latina libri*, ed. L. Spengel, expolivit A. Spengel, apud Weidmannos, Berolini 1885, p. 20.

sperationis, quia, primum, nulla hoc modo tollitur hinc difficultas: oratio ut vitiosa fuit, sic vitiosa manebit. Deinde, difficillimum est mente concipere Varronem, pro egregia eius brevitate, ad hanc etymologiam diutius sedere voluisse; aut, si quidem voluisset, quid amplius fuerit scripturus (etymologias enim aliquot paucis referre solet, tum aut amplectitur unam aut proponit suam: hic igitur omnia dicenda iam dicta videntur). Denique – et hoc est gravissimum – ex hac verborum iunctura *unae est*, propter numerum utriusque verbi discordem, clausulam sententiae esse factam difficile est credere.

IV. Coniectura Andreae Spengel: *iam diu enim late avaritia usa est*⁶ accipi nequit propter usum insolitum eius verbi, quod est „utor”:

1) hoc stare deberet loco praedicati ad subiectum, quod rem designat indefinitam (et talis usus exemplum sane difficile est invenire in litteris Latinis), atque

2) ad hoc verbum ne vestigium quidem obiecti esse deberet (et talem usum etiam difficiliter est invenire).

Quod si illud *usa est* pro passivo esset accipiendum („est in usu”), hoc iam plane caret exemplis nec accipi potest.^b Porro in Spengelii alio consilio, ut pro *unae* „aucta” legatur, difficile est secundum disciplinam palaeographicam explicare, quomodo alterum corruptum sit in alterum.⁷

Similes defectus indicari possunt in iis propositis, quibus pro illo *unae est* aliud quoddam verbum substituitur, et magis quidem definitum (tale enim post adverbium *late* exspectares), qualia sunt

⁶ Ibidem.

^b Potius quam Andreae Spengel tale nescio quid adhuc tribuam (quod in Polonico feci), delictum litterae in libro eius esse nunc credo, virum autem doctum re vera *fusa est* imprimere voluisse. Sed ex hoc quomodo illud *unae est* factum sit in scribendo, utique dici vix potest.

⁷ Ibidem.

*obtinet vel dominatur*⁸ – difficile enim est invenire argumentum, quo quaestionem, cur hoc ipsum nec aliud quoddam verbum sit inibi reponendum, absolvas; inde coniecturae tales plane pro arbitrio fiunt et nonnisi frivolae sunt iudicandae.

V. Illius rei, quam proposuerant G. Goetz et F. Schoell: *iam diu enim late avaritia una <domina> est*,⁹ facile quidem est analogiam invenire. Haec erit, exempli causa, Verg. *Aen.* I 21-22:

*hinc populum late regem belloque superbum
venturum excidio Libyae.*

Hic *populus late rex* [scil. *erit*] significat id ferme,¹⁰ quod *populus late regnabit*, hoc autem rursus comparari potest cum illo *avaritia domina est* quod quasi idem sit atque *avaritia late dominatur*.

Cum tamen carmen procul dubio est Aeneis, tum illa Varronis sententia, etiam hac coniectura accepta, prosae est procul dubio orationis monumentum. In carminibus sane sic dici potest – *nam liberius potest poeta quam orator sequi analogias* – sed in prosa oratione res talis iuste habetur pro monstro, hic autem, in Varronis commentatione doctrinae quidem plena, sed nuda et arida neque ullis aucta ornamentis, etiam plus inferret offensionis. Quae, credo, est ratio, cur Goetz et Schoell coniecturam suam, in Varronis

⁸ Haec proposita sunt, dum de ea re disputatur, in seminario Adami Ziółkowski. Etiam A. Groth, *De M. Terenti Varronis De lingua Latina librorum codice Florentino*, apud C. Teubner, Argentorati 1880 (Dissertationes philologicae Argentoratenses selectae 4), p. 23, videtur difficultatem verbi *est* pro praedicato positi agnoscere, cum Jordani coniecturam supra dictam reprehendendo hanc subdit (tepenite tamen animo): *iam diu enim late avaritia invasit*.

⁹ *M. Terenti Varronis De lingua Latina quae supersunt*, edd. G. Goetz, F. Schoell, Lipsiae 1910, p. 16.

¹⁰ Apud Vergilium id quod legimus re vera significat *populus late rex veniet*, hoc est *populus, qui late regnabit, veniet*, quod transeo, ne res fiat nimis implicata.

textu imprimere non ausi, in apparatus proiecero nota appensa quaestionis.¹¹

Pars eorum, qui Varronis opera emittenda curant, recipiunt coniecturam supra dictam Goetzii et Schoellii sic immutatam: *iam diu enim late avaritia una est*.¹² At vix est credendum talem rem a Varrone in litteris poni potuisse, cum haec ferme in animo haberet: „iam diu enim sola avaritia late extenditur”. Quod praecipue durum in his videtur, est illud *late avaritia est* (nam, ut iam superius dixi, aliud quiddam expectaveris loco illius *est*). Deinde, quod etiam gravius videri potest, hoc *una* (aut quilibet quod „tantum” significat), sententiam reddit gravatam mala omninoque a Varrone aliena affectatione, qui orationem praefert concisam summaque interdum brevitate constrictam.¹³ Hic vero – quod etiam coniecturae Goetzii et Schoellii obici potest – oratio est verbosior, quia nimirum falsum hoc est nihil late extendi nisi avaritiam. Denique, haec verba: *avaritia una est* clausulam faciunt heroicam. Antiqui clausulam talem in prosa oratione pro vitio habebant vitabantque,¹⁴ itaque non est eam libenti animo amplectendum, praesertim cum haec verba ex coniectura sint orta.

VI. Non multum erraturus mihi videor, cum coniecturarum omnium ad hunc locum sanandum adhuc factarum nominavero optimam eam, quam Adam Ziółkowski proposuit in seminario suo Varroniano, habito olim annos aliquot in Instituto Historico Universitatis Varsoviensis. Proposuit ille, ut illud *late*, quod in libris

¹¹ Recipiunt tamen R. G. Kent, *Varro on the Latin language*, t. I, Heinemann – Harvard University Press, London – Cambridge, Mass. 1938, p. 46 et A. Traglia, *Opere di Marco Terenzio Varrone*, UTET, Torino, 1974, p. 82.

¹² Varron, *De lingua Latina, livre V*, ed. J. Collart, Les Belles Lettres, Paris 1954, et A. Frascetti, *Roma e il principe*, Laterza, Roma – Bari 1990, p. 202.

¹³ Cuius egregium documentum est collis Viminalis etymologia in principio capituli 51 libri V sic exposita: *collis Viminalis a Iove Vimino, quod ibi ara. Sunt qui, quod ibi vimineta fuerint*.

¹⁴ Cf. Quint. *Inst.* IX 4.75

manu scriptis legitur, in *lata* corrigeretur utque *unae* (*Epitomes* exemplo) violenter deleretur. His factis sententia redditur haec: *iam diu enim lata avaritia est*.

Analogiae illius *lata avaritia* „avaritia late diffusa” possunt indicari in Plin. *Ep.* IV 12.7 *gloria lata* vel Tac. *Ann.* IV 62 *latior metus*. Ea quae hanc coniecturam commendant, sunt haec: quod textus libris traditus parcissime mutatur; quod sententia fit probabilis („iam diu est lata”); quod antithesis haec *angusti fines – lata avaritia* clare nunc apparet, quam antithesin adverbium *late* corrumpit adiectivi loco positum in libris. Videbis etiam defectus: inter alia deficit explanatio, quomodo orta sit lectio librorum manu scriptorum, et praesertim – unde *unae* illud infelix originem suam duxerit. Praeterea licet ita, ut in huiusce commentationis principio est expressum, dubitare de ordine verborum.

VII. Hoc loco novum aliquid promovere velim, quamquam, ut reor, dubium hoc videbitur quibusdam vel etiam auctorem suum faciet suspectum quasi qui nimis libere sibi indulgeat talia fingendo. Sed quoad scio nihil aliud ex iis, quae adhuc viri docti proposuerant, rationem reddit mirae structurae et inusitati ordinis verborum in hac sententia, nec item quicquam aliud appetit originem et formam expediendam omnium verborum, quae nunc hoc loco in libro *F* legi possunt.

In principio non absolum forte erit lectorem admonere, quemadmodum carmina revocet in mentem coniectura Goetzii et Schoellii: *iam diu enim late avaritia* [...] <domina> *est*. Ut iam supra dictum est, miramur tale loquendi genus, sed in prosa tantum oratione; in carminibus sic dici possit, ut demonstrat exemplum ex Verg. *Aen.* I 21-22. Tamen etiam si hanc coniecturam reiecerimus, id quod in Varronis libro restabit, carminibus simile usque videbitur, hanc praesertim ob rem, quod quattuor verba in principio faciunt tripodiam dactylicam brachycatalecticam sive, ut simplicius hoc dicam, hexametri dactylici partem primam ante caesuram se-

miquinariam: *iām dī(u) ěnīm lātē* ||.

Nimirum, si poeseos hic sit (corruptus) versus, de sententiae structura et ordine verborum, in prosa oratione tam insolitis, nemo iam dubitabit. At nihil quidem obest, ut Varro hoc in loco versu ex carmine quodam prompto gnomice sit usus.

Etsi res ita se habeant, id tamen quod in F legimus reliquiae non esse videntur illius, quod maxime hic exspectatur metri, scilicet hexametri dactylici. Sic coniectare licet propter nom. sg. *āvāritiā*, quod verbum difficile est in hexametris ponere, nedum post caesuram, ubi paene omnino a poetis vitatur.¹⁵ Versus, si quidem versus est, potest tamen esse pentameter dactylicus (in quem *avaritia* facile intrabit possuntque talis usus exempla reperiri),¹⁶ in quo deficit unum verbum duarum syllabarum:

iām dī(u) ěnīm lātē || – ∪ *āvāritiā*.

Quaestionem verborum illorum *unae est*, quae utique hanc lacunam non replebunt, deferamus nunc in posterius. Hic autem praedicatum deficere facilis est coniectura – verbum scilicet actionem designans, quam *late* „faciat” *avaritia*. Quid illud verbi fuerit, cum pro certo statui non possit, metri tamen beneficio probabiliora quaedam possunt coniectari, exempli gratia:

iam diu enim late <*regnat*> *avaritia*.¹⁷

¹⁵ Solum exemplum, quod mihi contigit reperire, optime hanc difficultatem demonstrat (Pers. 5.132): *Mane piger stertis. „Surge”, inquit Avaritia, „eia!”*.

¹⁶ Mart. *Ep.* II 56.2 et XI 58.12.

¹⁷ Nihilominus, si principium versus illius corrupti dactylicum cum clausula heroica, cuius superius mentionem fecimus, contuleris, etiam hexameter sic attemptari possit: *iam diu enim late* <*dominatur*> *avaritia* – ∪. Verbum, quod deficit, a vocali littera incohetur necesse est.

Huius verbi ratio intercidendi oporteat sit aut in charta lacerata aut in macula, quod scripturam in hoc loco vitiavit ita, ut proprie legi nequiret.

Pentametro sic restituto obici potest „esse in eo elisionem inelegantem”, aut, ut accuratius dicam, violari ita nominatam legem Hauptii, qua prohibetur elisio vocalis productae per insequentem syllabam brevem. Verum accidebat, ut poetae Romani hanc legem violarent, et maxime ante aetatem Augusti¹⁸ (Varro autem libros *De lingua Latina* scribit circiter annum 45 ante Chr.), cuius rei documento erit nobis Catullus (Catull. 85):

*Ōd(i) ět āmō, quare id faciam fortasse requiris.
Nescio, sed fī eri sēntī(o) ět excrucior*

nec non Lutatius Catulus aliquantulum natu maior (fr. 1.1-2 Courtney):

*Aufugit m(i) ānīmus, credo, ut solet, ad Theotimum
devenit.*

Vitabant quidem poetae Latini diligentissime elisionem syllabae extremae verbi *diu*, sed exceptio etiam in his rebus reperiri potest, Verg. *G. I* 197: *vidi lecta di(u) et multo spectata labore.*

VIII. Talem versum inibi et esse debere et olim fuisse cum iam coniecerimus, licet nunc de auctore considerare. Alia ex parte Varro, cum carminum exempla producit, adicere solet nomen auctoris – hic ergo si nomen adest nullum, indicio hoc esse potest illum auctorem esse Varronem ipsum, versum autem esse aut ex promptu compositum aut e suis excerptum, exempli causa, e Saturis Menippeis. At parte ex alia per usitatum sibi scriptores citandi mo-

¹⁸ Cf. E. H. Sturtevant, R. G. Kent, *Elision and Hiatus in Latin Prose and Verse*, TAPhA 46, 1915, p. 153–4.

dum solet Varro illa affirmare, quae in commentatione sua contendit et demonstrare studet; in versu autem quem ideo tantum prompsit, ut acerbo quodam dicto mores civium obiter reprehenderet et notaret, auctoris nomen nimirum reticere potuit, maxime si versus ille, quem sic usurpavit, vulgo sit notus et pro communi proverbio fuerit in usu.

Varronem versus illius auctorem non esse, neque haec verba esse prosam, indicio esse potest inaequalitas illa, de qua iam supra locuti sumus, horum sententiae membrorum: *angusti fines (sunt)* et *late avaritia <regnat>* – haec inaequalitas nescio an expediri possit quasi orta ex inserendo in orationem versum non ex promptu compositum, sed alioquin notum, qui (inter alia ratione metri) non potuerit facile accommodari, ut plene sententiae modo scriptae responderet.

Antequam de quaestione illa auctoris desperabimus, desperatae enim procul dubio praebet speciem, recordanda sunt nobis duo illa verba, quae in fine inibi sunt obvia, quaeque nuper reiecimur in posterius. Credo scilicet equidem Varronem re vera nihil de auctore hic scripsisse, sed versum utique adhibuisse alterius, illud autem *unae est* glossema esse corruptum, quod forte ac fortuito in textum irrepsit celatque nomen scriptoris Romani. Proponere igitur velim, ut illa duo verba corrigantur in *cīnae est* et legantur *Cinnae est* et (cum sit glossema) deleantur, ad hunc modum:

... et Larum Querquetulanum sacellum et lucus Mefitis et Iunonis Lucinae, quorum angusti fines. Non mirum: iam diu enim late <regnat> avaritia {Cinnae est}.

Sane difficile est certe statuere, de quo Cinna hic agatur, verum ille naturaliter in mentem venit, qui Cinnarum est illius aetatis poeta notissimus – C. Helvius Cinna.